

sendum, si dominica illa non eodem momento in toto orbe desinat. Sufficit dominicam revera esse diem, quæ ubivis locorum his sacris impenditur, etsi per naturam rei evitari nequeat, quo minus ejus principium apud has gentes, cum ejusdem fine apud alias gentes vicinissimas, coincidat.

Quoad alterum, certum & exploratum videtur, primam Adami hominumque sedem fuisse in Asiæ parte citeriore, quæcunque illa tandem sit, indeque eos migrasse in orientem, ut extremas Asiæ oras illic habitatoribus replerent; sicut hodiernum Europæi quoque frequentius & ordinarie solent, nisi scopus aut necessitas aliqua contrarium exigat. Si qui ergo contra naturalem velut ordinem versus occasum progressi, & immensa terrarum oceanique spatia emensi, in illas regiones penetrant, ceu Hispani, insulas Philippinas adeuntes, solent: æquum est, ut pauci hi pluribus cedant, & illorum consuetudinem in serie dierum numeranda sequantur; uti qui contrario itinere totum peragrarunt terraqueum globum, reduces facti, ipso jure tenentur morem popularium qui patria non excessere observare, tametsi qui popularibus habetur dies dominica, uni sit dies saturni, alteri dies Lunæ, & neutri objici queat, quod in ordine dierum numerando errorem commiserit. De Americanis equidem itidem admodum probabile est, magnum eorum numerum ab Asiatis per Japaniam & terram Jesdo transgressis, immediate traxisse originem. Quia tamen septimanarum apud illos distinctio nulla, æquum videtur, ut hujus novi orbis habitatores, obtemperent in hoc negotio statutis Europæorum, quorum tanta multitudo